

Postquam autem cum modestia sumpserint cibum, hymno dicto, si fuerit aestivum tempus, vadunt parumper dormitum; et facto modico intervallo revestit se imperator viridissima clamide, cum nivea mitra, cui superponit patricialem circulum, et sic itur ad vesperum. Iterum pulsant coelum voces eorum, ad laudem et gloriam viventis in secula seculorum.¹⁾

Cap. 10. Altera autem die domnus papa summit Romanam coronam de altario apostolorum principis, et ponit eam in capite cesaris; cesar vero per voluntatem Dei et per orationem sancti Petri coronatus, venit usque ad scalarum gradus, ubi eum praestolatur Romanus senatus; ascendensque equum cum equitibus Romanis, Teutonicis et Longobardis, pergit per viam triumphalem. In omnibus quidem plateis salutatur Romanis cantilenis. Ante fores igitur Constantinianae aecclesiae, quae est caput omnium aecclesiarum per universum orbem terrarum²⁾, congregatae sedecim regionum scolae suscipiunt imperatorem cum magna processione. Intrante vero cesare aecclesiam cum multitudine diversarum gentium, salutatur eum consistens iuxta altare chorus psallentium: „Benedictus sit cum Patre et Spiritu sancto Christus Dei filius, qui talem concedit laeticiam angelis et hominibus.“ Quid plura? Missa celebratur et per omnes vicos Alleluia cantatur, ubique iubilatio, ubique gaudium et exultatio.

Cap. 11. Tercia vero feria similiter cum eodem exercitu equitans usque ad sanctum Paulum, coronatus sollempniter recipitur, atque in eius laude Deus glorificatur et benedicitur.

Cap. 12. Quarta denique feria quasi rediens de Bethleem, coronatus vadit ad sanctam Hyerusalem. Expletis autem mysteriis tam insignis diei commendat se Deo et dicit: „Salvator mundi, miserere mei“. Reliquis vero tribus eiusdem ebdomade diebus celebrat synodum, et simul cum domno apostolico emendat negligentias sacrorum ordi-

¹⁾ Vgl. die Liturgie.

²⁾ So wird der Lateran oft bezeichnet; vgl. bes. die Konstantinische Fälschung § 13: quam sacrosanctam ecclesiam caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici sancimus.